Poëtae latini recentiores.

1060.

Fe Nawo-Tacin.

Fechneri Johi Viadrus charactere poëtico descriptus.

Vratisl. 1649.

VIADRUS

Charactere Poetico descriptus

â

JOHAN. FECHNERO.

Vratislaviæ
TYPIS GEORGI BAUMANNI
Anno. MDCIL.

HONORI TERGEMINO SACRUM.

VIRIS,

ADMODUM-REVERENDO, CLARISSIMO ET SPECTATISSIMO,

Dn.

M. JOHANNI FAUSTO GLOG.

Pastori Ecclesiæ Christi in Smigla & reliqvarum in Polonia Majori invariatæ Augustanæ Confessioni addictarum Inspectori Vigilantissimo, suo qvondam Præceptori meritissimo, nunc Patrono eximio:

Ut &

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO,

Dn. ZACHARIÆ Hartrانfft *Griphor. ICtO, Reverendiss. Capituli, qvod est ad D. Petri Budissæ Lusatiorum Syndico Laudatissimo, suo Fautori & Promotori exoptatissimo:*

Nec non

EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

Dn.

JOACHIMO SPECHTIO GLOG.

Medd. Doct. & Practico in Patria Solertissimo, suo Amico & Fautori veteri;

L. M. Q.

Dicat

M. Johannes Fechnerus Freistad. Silesius, P. C. L.

Devotissimus Nominum ipsorum Cultor.

SOllicitent alii Cyrrhæ, Nysæq; liqvores
Facundos, qvos magna seqvi furor arduus urget.
Cura mihi ripæ per nana fructecta vaganti
Vicino è fluvio tenuem deducere venam
In carmen, strepitu qvod silva loqvace recentet.
Odera Naiadum genitor, qvo clarior amnis
Teutoniæ non ambit agros, tua sacra movebo
Cærula Nympharum simplex castusq; camillus.
O qvoties Scholicâ lassus fractusq; palæstrâ
Litus oberro tuum! Qvoties tibi trado molestos
Æqvoris in Codani gremium portare dolores!
Nec tu fastidis mœstum relevare; sed æstu
Curarum merso vacuum lætumq; remittis
Socratis ad pluteos parcæq; repotia cœnæ.
Si de fonte tuo modicam mihi promtitat urnam,
Candida Cimodoce, laticem mihi nolo Lyæum,
Misceat Heba decens: caput hoc adspergine castâ
Si lustras, Phœbo tripodes laurosq; relinqvam,
Pirenenq; sacram siccis mandabo poëtis.
Callirhoës tu numen habes, tu limpidus Evan,
Et potior tuus iste fluor Pimpleide doctâ.
Sed qvid opus blandâ te voce lacessere? Pronus
In mea vota fluis, tacitoq; allaberis alveo.
Ipsa viam sternit planam crispatq; cachinnos
Plausores Najas sub aqvis. Favet aura FavonI

 Mitior,

Mitior, obſtrictum dum continet Æolus Auſtrum.
Solvamus; curſum promittunt omnia fauſtum:
Solvamus; tergum ſummittit læve Phaſelo
Flumen, ut hinc recto nos tramite vectet ad æqvor.
At ſacer horror aqvæ mentem qvatit intus, &
In ſtatione ſuâ morſu ratis, ecce, tenaci (hæret
Undarum metuens. Nam qvi rumore ſecundo
Mollè modo ridet, facilè improba cornua tollit,
Durateos & mergit equos torrentior amnis.
Eſt ſua fluminibus Siren, eſt Syrtis iniqva
Nare parum doctis. Vetat & reverentia caſtas
Nympharum ſedes tactu temerare prophano,
Scrutariq; toros Hyales, qvos nemo natator
Impunè ſpectat. Litus teneamus amicum,
Unde licet liqvidi ſpeculari templa Viadri.
Ad fontem primûm rivi viſemus amœni:
Hinc nos deducet ſua per veſtigia Najas.
Eſt locus Elyſiæ, Qvadis venerabilis olim,
Qvà propius Moravos proſpectat Hamadryas agros
Sudetis, praſinumq; caput ſummittit Oreas
Indigetæ Genio, Sileſicolasq; Napéas
Eminus è montis veneratur dejuge dorſo.
Hîc tu tantarum, Viader, regnator aqvarum
Exeris aureolum cornutæ frontis honorem,
Hîc laticem promis manifeſto fonte perennem.
Salve præſtes aqvæ, patulo qvi fuſus in antro
Deprendi gaudes, cryptâ neq; condis in altâ
Urnam virgineas proclivem fundere lymphas.
Obſcu-

Obſcurum caput occultet ſub montibus Afris
Indignatus aqvâ Nilus ſtagnante Canopi
Eluere inceſtos agros & ducere limum.
Tu purus caſtusq; fluis: poſcitq; ſubinde
Arbitro ſine Silvano Dictynna retingi
Rore tuo. Fugit hinc Satyrorum ſcæva juventus,
Nympharumq; cavet regnum fœdare protervo
Acceſſu Faunus. Tanta eſt reverentia fonti,
Oderis unde ſacram ſatagit demittere crenam
Cryſtalli liqvidæ non deficiente fluore.
Adſpicis, ut trepidet ſalientem trudere rivum
Nympha fugax. Dices alatum calce caballum
Hic venam elicuiſſe novam: Sic labilis humor
Garrit Hyantéum facundo murmure labrum
Argutè ſimulans, ſeu colle volutus aprico
In planum deflectit iter, ſeu valle vagatur
Curvâ Mæandrum refluâ ambitione viarum
Æmulus. At ſimilis ſibi prodit ubiq; benignum
Ingenium &, qvem natali ſub fornice ſumſit,
Splendorem, qvanqvam rivis jam pluribus auctus,
Qvi properant regi ſociales undiq; vires
Jungere. Non pigro fundus nitidiſſimus hæret
Cæno, non ripas prætexit alumna paluſtris
Ulva luti, unde canant Nymphis convitia ranæ.
Pandit utrumq; latus monſtri non conſcius amnis
Diri, qvale fovet ſub aqvis infamibus anceps
Salmacis. Arcanum retegunt penetrale fluenti
Oderides caſtæ, prohibent neq; cernere caſtas

Fundi delicias, ubi lucida glarea muſcum
Claudit, uti virides aurum prælustre ſmaragdos.
Hîc melius, Narciſſe tuam ſpeculabere formam:
Nullas affundet tibi flammas unda pudica.
Herculis huc tutò veniat catamitus aqvatum:
Nullæ hîc inſidiæ ſunt, nulla pericla rapinæ.
Cuncta patent, qvæcunq; latent demerſa profundo.
Utq; diem purum puri ſpecularia vitri
Transmittunt, ædesq; replent Hyperione multo:
Haut aliter Viadrus per læva terga receptum
Diffundit lumen ſolemq; excludere neſcit.
Sic claros per prata trahens ſinuoſa meatus,
Et prætergresſus montem, qvem nomine ſignat,
Elſæ fraterni ſocias intercipit undas.
Tunc primum patulosq; ſinus, hyaloq; fluentem
Expandit peplum ſpacium per fluminis æqvum
Porrectus, qvi rivus erat non dives aqvarum,
Saltu qvem facili ſuperaret ruſticus Alcon.
Ergò ubi jam planos liqvido lavit agmine campos
Fœcundas oſtentat opes, qvas Statius ingens,
Et lyricen Geticus neqveant æqvare canendo,
Qvamvis huic genitrix, qvamvis Acheloides illi
Concives adſint. Næ rerum copia prægnans
Intentos turbat varioq; errore fatigat,
Dum circumducunt viſus per litus utrumq;.
Qvid primùm mirer? Qvo tandem fine qviescam?
Huc oculi raptant celeres, mens diſtrahit illuc
Attonitum. Natura ſinus hîc dædala totos

Pan-

Pandit, Amaltheæ profert hîc fertile cornu
Terra parens, Venus hîc emergit mitibus undis,
Roreq; Nectario felices perpluit oras.
Illex inde decor nescit dimittere visum,
Admissum, speciesq; oculis lustrantibus offert,
Usq; novas, qvas Amphrysi genialia tempe
Non præstant, non Hesperii nitor aureus horti.
Alternas comunt Silvanus et Elvia ripas,
Qvos formosa Pale stipat, Dryadumq; chorea,
Faunorumq; levis thyasus, Floræq; caterva,
Imminet en fluvio senium venerabile luci,
Qvercus ubi strophij frondes extendit opaci,
Defenditq; graves undis nutricibus æstus,
Dodonæ cessura parum, condignaq; prorsus,
Unde columba loqvax cantet responsa Tonantis.
Huic cingit latus Alcidæ clarata triumpho
Populus, & blandùm tremulis adsibilat alnis.
Ad summissa salix nutu famulante salutat,
Hinc nemus, inde caput sacrum declinat in amnem,
Qvi subterlabens placido rumore vireta
Assultu svavi dumis alludit alumnis.
Nec tacet intereà pellex vocalis aëdon;
Sed cantat Silvis Ityos miserabile fatum,
Asmate deducto, viduâ cui turtur ab ulmo
Murmure responsat fracto, amissamq; maritam,
Perseqvitur qvestû: qvin illis aggemit omne
Arbustum, qvoties Zephyritidis oscula mollis
Excipit & tenui strepitu suspirat amores.

Cernis

Cernis, ut adſurgat curvo nemorale theatrum,
Margine, ut affini lymphæ nutrita liqvore
Arbor luxuriet. Non ſic frondoſus Iaccho
Affuſo platanon, non ſic Heliconia laurus
Emicat, ut Viadri regnum qvæ ſilva coronat,
Silva, cui vivax non demet Hamadryas annos.
Sed nunc ex umbris nemorum cedemus apricos
In tractus, latè qvibus imperat alma Segeſtis.
Proh, quæ non hîc dona licet ſpectare potentis
Terræ! PelusI miretur barbara Memphis
Sumen pingve ſui, fœtos Campania campos
Extollat, Cererisq; ſinum ſibi Trinacris ora
Vendicet, unde petat veſcas gens plurima fruges:
Nos ſaturi noſtros meritô laudamus agellos,
Nos fruimur potiore ſolo, qvi litus opimi
Accolimus Viadri. Pleno qvæ fluctuat arvo
Hinc atq; hinc, meſsis metuit ſpem fallere lautam
Indigenæ, paſcetq; ſuum non parca colonum
Farre novo. Nuſqvam ſteriles dominantur avenæ,
Infelix nusqvam lolium lappæq; tenaces
Interimunt ſegetem. Solas excludit eremos
Litore picta Pale toto complexa lacertis
Contiguis Viadrumq; patrem Cereremq; ſororem.
Turgeſcit clivo tellus mammoſa freqventi,
Et ſe prociduo colles umbone ſalutant,
Qvos circumfuſæ rorantia gramina tondent
Buceriæ pecudes: Sed eas poſtratus in umbrâ
Obſervat Corydon, & carmine mulcet amico,
Provocat

Provocat argutum cum lotus tinnula Mœrin.
Tum verò ad numerum videas ſaltare Napèas,
Et motare caput Philyras, tremulumq; probare
Agreſtûm luſus undis plaudentibus amnem.
Nec metuit Silvis Satyrorum excîta caterva,
Inſultare vadis, & ſe merſare fluento
Luſtrali, terris cum feruentiſsimus axis
Incumbit, ſaturumq, pecus jam cogit Amyntas.
Qvin & cum prono decedit veſper Olympo,
Ipſe madens Viader venetos exutus amictus
Colle ſub acclini ſiccâ ſe volvit in herbâ.
Hinc latè loca manè vigent, patremq; fatentur
Roſcidà mobilibus lambentem gramina rivis.
Qvà meat hic, vernus ſequitur color, omnis in herbas
Surgit humus, Chloris qvas interſtingvit elencho
Florum multiplici, ſimul æthere Lucifer almus
Roranti provectus eqvo deſtillat odorum
Nectar, & aërio glebas ſudore maritat.
Parte aliâ tunicata rigat Pomona viretum
Conſertasq; pyros. Dominam ſentire videtur
Stirps fauſtamq; manum: ſic ſeſe ſubjicit illa
Auras in patulas, nutritaq; Najade multâ
Suaue viret. Pronus dat carpere munera ramus
Cruſtumiis meliora pyris, qvîs cytria cedant
Poma, & Nauſicaë patriis qvæ legit in hortis.
Jam qvantus labor hanc numerare leguminis omnē
Prolem, qvam Viadro vicina crepido profundit?
Dum fruor adſpectu, dum lumina mitto per hortos

Proculco nec opinus olus, Samiiq; magiſtri
Delicias, menſis qvas prætulit ille Deorum,
Qvas nec Ariſtippi faſtidiat uncta paropſis.
Tantis macta bonis non invidet Oderis uvas
Rheno, quem felix vindemia veſtit utroq;
Margine: Lenæus qvanqvam non prorſus ab iſto
Litore ſe ſpernit. Videas hic vite benignâ
Colles & thyrſo juga tacta tumere Lyei.
Sleſius at ſimplex panem ſibi qværit aratro,
Non avidus vini, & frugis potioris alumnus
Negligit inſano thyaſos inducere Baccho.
Qvò verò ruimus longâ ambitione viarum
Tracti? Qvid terris hæret ſpeculatio dives?
Qvæ magè miremur, ſpectacula ſufficit amnis
Intimus, atq; jubet luſtrare examina gentis
Sqvamigeræ, tacito plauſu quæ ludit in undis,
Nympharumq; ſinus tranſit petulante natatu.
Lucius amnigeni prælucet in agmine cœtus,
Lucius obſcœnæ peſtis certiſsima ranæ.
Inde ſubit mullus, qvi, ſi qvid credis ApicI
Judicio, cœnæ caput eſt, eſt gloria menſæ
Divitis. Huic audet contendere perca ſalubres
Exhibitura dapes, qvamvis armata minaci
Pinnarum ſerie præacutas tollat ariſtas.
Nec deſunt amiæ nobis abdomine tardæ,
Affinis longis non deeſt anguilla colubris,
Non imis hærens barbatus gobio fundis.
Multus in hoc leuciſcus habet, mugilq; fluento
Lubri-

Lubricus, & profugus piſcinæ carpio ſeptis,
Nec non loricâ tectus tergumq́; caputq́;
Cancer, qvi prendit chelis ultricibus hoſtem.
Dicere qvid refert tincas ſolatia vulgi,
Cum procerum menſis acipenſera mittat opimum,
Odera, qvem regem veneratur natio ſima,
Pinnigerumq; ſecus? Sed qvî te, Salmo, tacerem,
Advena, qvi Codano dilapſus gurgite noſtrum
Flumen inis illectus aqvæ dulcedine ſvavi?
Dum tu deliciis menſam ſaliaribus ornes,
Truttam nemo mihi ſtellatam terga ſigillis
Sangvineis ponat, peregrinos nemo ſiluros
Lautis adſparagis, ſcitamentisq; palati
Præcinctos variis conditâ in lance coronet,
Me non ſic murena juvat, non eruta fundo
Oſtrea Lucrino, non æqvoris incola rhombus
Externi, ut piſcis Viadrino natus in amne.
Servet venales ſibi ſardos Sardus, halece
Condito fatuo ſale Flander paſcat agrorum
Foſsores, comedant pulpam male-mollis aſelli
Norvvagij, Lappiq; truces, boreiq; truones:
Adſvevit noſter ſtomachus melioribus eſcis,
Qvas didicit guſtus ſapiente probare ſalivà.
Inſtruit ecce focum piſcis Viadrinus abunde,
Qvem Gripus prendit ſtudiis fallacibus amnem
Latè depopulans. Nam cum ſe continet Auſter
Imbrifer, invadit temeraria cymba fluentum
Nodoſisq́; plagis muti trahit agmina cœtus,

Aſt lunata ſinu qvà ſemet ripa receptat
Viminei ſub aqvâ protenduntur labyrinthi,
Qvos ſimul ac piſcis ſimplex intraverit, inde
Non remeare valet. Neq; paucos hamus ineſcat
Perlecebrâ fallente cibi, dulciq; lucello
Piſcatoris opes auctat, prædâq; culinam
Flumineâ, modico qvam qvisq; redemerit ære.
Hoc eſt ergò tui, Viader bone, muneris omne,
Rerum lautarum qvod nobis copia præſtò.
Macte bonis propriis: Te non opulentior Hermus,
Non Ganges promus gemmæ famoſus Eoæ.
Semper opum largus te non diffundis in unam
Sileſidum gentem: Toti communis es orbi.
Noſtrà merce beas alio ſub ſole jacentes
Terras, in qvarum proclivis commoda curris,
Auſter & Arctous per te commercia Corus
Jungunt. Divitiis te promotore potimur
Omnigenis, Argo qvas mercurialis ab orbe
Advehit externo. Neq; dedignaris onuſtas
Puppes ferre, bonâq; fide tibi credita reddis,
Tutior Oceano, qvi ſorbet ſæpè natantes
Mercatoris opes. Næ pulcrè Guttalus audis
Qvondam; nec Sais hîc peccavit Plinia multùm,
Hoc qvæ te voluit celebrare vocamine mundo.
Totus enim bonus es, bona qvi tot fersq; refersq;
Vectigali operâ. Nunqvam non nauta celoce
Remivolà tibi terga fricat, ſeu tendit in amnem
Adverſum lintrem, ſeu pronâ labitur undâ.

Non

Non illi obſiſtit ſcopulus luctamine cæco,
Non vortex vortet, non dira vorago vorabit
Naviculas. Placidam flumen demittit aqvæ vim,
Qvamvis exauctum flvuiorum congrege fluxu,
Qvi celerant domino deperdere nomen in amne.
Qvicqvid aqvæ Sleſiam ſerpente fluore pererrat,
Qvicqvid agros Lechi ſtringit, qvod Sarmata ſecum
Viſtula non rapiat, qvicqvid Luſatia rura
Findit, nec Sprevus majori ſubtrabit amni
Invidus, in gremium Viadri decurrit amœni.
Prætereo tenues Oppam Niſsamq; monarcham,
Præ reliqvis fluvium famulis adlambere lymphis
Certantes. Oſtram taceo Stobramq; fluenta
Nominis obſcuri. Lateat præcinctus opaco
Et latus & frontem limoſam Weida ſalicto:
Ola pater, pater Ola meam jam poſcis opellam:
Te Tranſire nefas fuerit, pingviſſima rura
Qvi præterlapſus ſummiſſis cornibus intras
Breslam, cui promtâ tua munera ſufficis ollâ,
Officium præſtare Luæ dignatus amicum.
Sic meritis plenus magnæ ſub mœnibus urbis
Magno te miſces Viadro, ſordesq; receptas
Diluis. Atqvâ jam Cattum decorabo Camœnâ.
Hic ſtrepero lapsu primum contendit ad Arcton,
Longinqvum meditatus iter; mox torqvet ad ortum
Præcipites curſus properans occurrere patri,
Qvem longè per prata ſonat Lygica, Viadro.
Tu qvoq; Warta piger longâ ambitione pererras

 Sarma-

Sarmaticas oras ; Sed tandem invadere Pontum
Agmine cum posses toto, te credere mavis
Amni Guttalidum : Cui Bobera tramite recto
Tendit in occursum fluvii non unius hospes.
Nunc age pande sinus, Viader, fratremq; lacertis
Excipe porrectis. Hoc concurrente bicornis
Jam verè factus, geminoq; potitus honore
Magnâ mole ruis. Neq; tu non nobilis amnis
Accessum sentis, cum pompam nominis ampli
Boberis unda trahat secum nutricula Phœbi.
Scilicet hanc vatum papas Germanicus olim
Altiùs immersâ turbavit Opitius urnâ.

Hæc propter fas est, ut plenâ laude tumescas
Oderis, Eridano nil concessura superbo,
In cœlo licet is diffusâ luce nitescat.
Attollunt cœlo vates tua nomina plures,
Qvàm stellas liqvido trahit ille volumine. Tybris
Invidet ipse tibi famæ crescentis honores,
Ex qvo Romanos sentit frigere Poëtas.
Hactenus Aonidum patronus Mœnus amœnus
Transcribit tibi sceptra libens, regnumq; Thaliæ
Committit totum. Jam te fautore Tuiscon
Non curat siccos Ascræ perqvirere fontes.

Da veniam, pater; haut tecū procedere possum
Amplius exilis venæ mihi conscius. Alter
Ausonius qværendus erit, Tritonve canorus,
Qvi conchâ resonante Danis tua nomina Nymphis
Prædicet, Arctoum latè recinenda per orbem.

Ibis

Ibis in ora hominum potioris Apollinis orſu,
Ingeniiq; novis dicère Maronibus altor,
Qvi Marti patronus eras ætate priori.
Nam coluit te Semno ferox, & Vandalus acer,
Per latus omne ſoli vaga qvi circumtulit arma,
Ut meteret populos. Nempe ex te ſpiritus hauſtus
Victricis domitor Romæ, Heſperiæq; tyrannus.
Deîn Vinidi ripas tenuerunt haſce, vel Iſtro
Poſthabito; Lugius cui convena mixtus amœnâ
Morum temperie mentes fomavit atroces.
Ac veluti fontis ſtillanti ſparſa liqvore
Omnimodas diſcit mentiri argilla figuras:
Sic qvem tu puerum facundis, Guttale, lymphis
Innutris, Clarii vim fontis concipit aptus
Tractandis ſtudiis, qvîs vita politur agreſtis.
Dum volves reſupinus aqvas, dum piſce colono
Gaudebis, nunqvam deerit tibi copia vatum,
In tua qvi promti facilem præconia crenam
Defundent, Nymphasq; pias, populosq; colentes
Litus utrinq; tuum famæ cœloq; dicabunt.
Pars canet adfines agros, pars adſita caſtra,
Qvæq; tuas ſervant prætoria Martia ripas.
Dicet hic Oppoliæ priſcam venerabilis arcem:
Ille Bregam fidam Dominis, hoſtiq; timendam.
Laudabunt multi fulgentia mœnia Breslæ,
Qvâ nihil â roſeo proſpectat clariùs axe
Titan exoriens, qvæ gemma eſt nobilis oræ
Teutonicæ. Ancipitis neq; formidabile cloſtrum

Gradivi

Gradivi Glogam reticebuut ſecla nepotum.
Marchia facundos producet porrò Sabinos,
Qvi collaudabunt vivaci carmine Franco-
Fortum, Mercurio pariter doctisq; Camœnis
Dilectum penitus portum, & qvod bellica Virgo
Struxit, Custrinum, nulli ſuperabile caſtrum.
Qvis non Sedinum miretur, Svedicus hoſpes
Sedem ubi jam fixit tutâ ſtatione locatus?
Qvis reliqvas non extollat Duce, Regeq; dignas
Arces, aggeſtâ qvas Mars tellure coronat
Tutor, Victruvius qvas demiretur, & urbes
Qvæ veteres docuit munire, Vegetia Pallas?
En qvam pulcra tuos ambit prætexta fluores!
Qvanta tibi ex opidis accedit gloria junctis,
Guttale! Sed cave tu fera tollas cornua laude
Fœcundâ tumidus, ripasq; eſcendere tentes
Eluvione gravi merſurus rura propinqva.
Sic te tempeſtas nunqvam torrente tumultu
Conturbet, ſic caſta tuum non deſerat amnem
Naias, ſic fugiant hæc litora ſacra nefandi
Impuriq; viri, qvorum te injuria lædit,
Inceſtusq; auſus fermentum provocat undæ.
Tu certè dignus, cui nullus terga fatiget
Hoſtis, qvem circum circà pax ſoſpitet alta.
Idq; tibi Gedanæ regnator cærulus undæ
Promittit, cujus gremio te credis amico
Patris in amplexus diffuſus corpore toto.

F I N I S.